



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Jacobus Apostolus. 25. Iulii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

animo visa supplicia reliquerant, tantum potuere, ut elegerit in vitam redire, & alienas noxas in suo corpusculo plectere ; probante ipso Christo Judice pium consilium. Horrescit animus narrare, quæ deinceps viva iterum virgo facere non exhorruit. Unum vita tota portentum fuit. Nam ut alia omittam, volucrem illa perniciate suâ vincere, & jam fornaces succensas ingredi , jam glacie duratas aquas subire, modò è patibulis se suspendere, modò facinorosorum rotis membra illigare, interdum per sentes & vepreta voluntari, canumque dentes in se armare. Porro vaticinia complura edidit. De decretorio illo Judicij die magno animorum motu concionari solita, scelera omnia, sed luxuriem potissimum , assiduo fletu gemituque damnavit. In supremo tamen morbo recreata est Angelicis modulis , iterumque è vitâ abiens non unam jam animam cælo intulit. *Ex Surio.*

*Si est sub terrâ Tartari carcer , si est combustio ardens , si est Infernus sine fine crucians , quid stupemus? quare non omnibus contemptis sola nobis cura sit evadendi à malis talibus , ne viventes mundo ad tantas tales, tam crudeles subito rapiamur pœnas?* S. Pet. Chrys. serm. 124.

### S. JACOBUS APOSTOLUS.

25.Iulii.

**L**Audes JACOBI scripturo pennam ultrò JACOBI volucres ingerunt. Audi juventus, & patronum tuum mecum lauda. Ibant conjuges pii Compostellam , & trahebant pietatis suæ comitem filium formâ liberali juvenem. O ut periculose castitas peregrinaris ! Hospitis filia oculis capra adolescentis, capere etiam ipsum nititur. Evidit hic muliebris amoris laqueos , sed non odii.

Sub-

*Iulii.* VITÆ SANCTORVM. 363  
Subdola enim inter sarcinulas castissimi aureum craterem condit, & abeuntem de furto accusat. Damnatur, ducitur, & in crucem tollitur; sed non moritur innocentia. Dum enim mœsti parentes iter relegunt, dum ægrè & pedes trahunt & animas, senectutis scipione filio amiso, dum frui illos vel pendentis aspectu juvat, ecce ab infelici arbore filius: Quid lacrimis vivo parentas mater? vivo DEI MATRE & JACOBO succollantibus: i, Judici dic, ne damnare perga, quem mors absolvit. Vix hæc ille ad matrem, cum mater hoc ad Judicem mensæ accumbentem. Hic; tam scilicer filius tuus vivit, quam assus hic cum gallinâ suâ gallus, qui laetus unctusque sepulchrum stomachum expectat. Jam carpere parabat, cum gallus & gallina in vitam se erigunt, innocentiae victrici alis applaudunt, gallus etiam Pæana canit. Ergo damnat se ipsum Judex, & innocentem missum facit, volucrum verò proles posthuma etiam hodie plumas suas cum laudibus JACOBI in omnem orbem spargunt, nunquam omnes, licet tot quotidie vellicent, evelendas. Ex L. Marinæ l. 5. de reb. Hisp. c. ult.

*Quid ditius, quid in corde dulcius, quid in terra quietius est & securius bona conscientia? damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus, quin & ipsa morte magis erigitur quam deprimitur.* S. Bern. l. de Consid.

S. CHRISTOPHORUS M. 25. Iulii.

**C**HISTOPHORVS sive corporis sive animi spectes robur, semper magnus, nomen hoc suum reportasse tunc creditur, cum CHRISTVM sub pueri vultu per aquas transportavit, non ma-